



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De illius imperio, & quas res per quietem viderit. Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODOR. HISTOR.

miraretur, illi, quos stimuli pungebāt inuidiæ, aiunt eum & fugæ se dedisse, & exercitū amisisse. Theodosius igitur postulat ab illis, qui contradicerēt, ut mittant nuntios, per quos eos multitudinem Barbarorum interfectorum diligenter cognoscant: faciliè namque esse ex spoliis numerum perdiscere. Cui orationi assensus imperator, misit nuntios, qui res gestas explorarent, eique postea referrent.

De illius imperio, & quas res per quietem viderit. CAP. VI.

DUci autem optimo Theodosio interim apud Gratianum commoranti, diuina quædam visio ab ipso omnium rectore deo obiecta est. Videbatur enim videre diuinum Meletium ecclesiæ Antiochenæ præfulem, læuam sibi imperatoriam iniicere, & coronam illi honori conuenientem capiti imponere. Quæ cum noctu secundum quietē vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicauit. Ille somnium manifestum esse, & nihil obscuri ambiguiue in se complecti dixit. Ac perpauci dies iam intercesserant, cum redierunt nuntii, qui ad res à Theodosio gestas exploratè cognoscendas profecti fuissent, retuleruntque; permulta Barbarorum millia trucidata esse. Itaque; imperator iam pro certo persuasum habens, se non sine summo imperii comodo eum ducem delegisse, imperatorem quoque designauit, & illis imperii partibus, quas Valens rexerat, ei commisisit, ipse in Italiam contendit, Theodosiumque in imperii partes ei traditas dimittit. Qui ut primum imperium obtinuit, ecclesiis præ cæteris rebus diligenter prospicere cœpit, & ut episcopi suæ ditionis Constantinopolim ire maturent, imperat. Nam sola ea imperii pars Ariana labe passim commaculata fuit: pars autem versus occidentem ab ea libera vacuaque permansit. Siquidem Constantinus filius Constantini natu maximus, & Constans minimus natu, paternam fidem integram conseruabant: quin etiam Valentinianus, imperator Occidentis, veram pietatē synceram & incorruptā custodiebat.

Quinam insignes fuerint Arianae factionis antistites. CAP. VII.

Impe-